

10 *Quomodo hanc consolationē* CAP. 2.
Speculum sine macula,
Splendor divinæ majestatis,
Imago paternæ bonitatis,
Sapientiæ thesaurus,
Æternitatis abyſſus,
Principium sine principio,
Verbum continens omnia,
Latitudo complectens omnia,
Vita vivificans omnia,
Lux illuminans omnia,
Veritas judicans omnia,
Consilium moderans omnia,
Norma dirigens omnia,
Pietas sustentans omnia,
Totumq; omnium bonorū complementum.

CAPUT II.

QUOMODO QUILIBET CHRIS-
tian⁹ hanc Evangelij consolationem
sibi vendicare & applicare
debeat.

Luc. 19. Venit filius hominis querere,
& salvum facere quod perierat.

★
Promis-
siones
salutis
univer-
sales.

P RIMUM fundamētū quo nititur u-
niversalitas remissionis peccatorū
& meriti Christi, sunt promissio-
nes universales, inter quas non postre-
ma est illa, *Luc. 19.* modò comēmorata.
Etenim si certū est Christum venisse vt
salvos